Sequentia Belgij Confederati

Dies irae dies illa
Solvet foedus in favilla
Teste Schelde, Tago, Scilla.
Quantus tremor est futurus
Dum Philippus est venturus
Has Paludes aggressurus!
Tuba mirum spargens sonum
Cum Terrore Regionum
Coget omnes ante Tronum.
Mars stupebit, et Bellona
Dum Rex dicet; Redde Bona
Post hac vives sub Corona.
Miles scriptus adducetur
Cum quo Gallus unietur
Unde Leo subiugetur.
Hic Rex ergo cum sedebit
Papæ fides refulgebit
Nil Calvini remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cum vix Anglus sit securus!

Rex invictæ Maiestatis
Tu qui nos fecisti Evatis
Frui bono Libertatis;
Recordare nostri pie
Ne in Spiritu Eliæ
Omnes perdas illa die.
Pro Leone multa passus
Ut hic staret, eras lassus;
Tantus Labor non sit cassus.
Ingemiscimus dolentes
Culpam nostram Confitentes,
Audi Reos pœnitentes.
Magne Rector Liliorum,
Amor, Timor Populorum,
Parce Terris Batauorum;
Qui Hyspanum domuisti,
Lusitanum erexisti,
Nobisque quoque spem dedisti.
Preces nostræ non sunt dignæ,
Sed Rex magne fac benigne
Ne iam tuo cremenur igne.
Inter tuos locum præsta,
Protege nos forti dextera;
Ab Hyspanis nos sequestra.

Ne nos reddas pares Brutis
Sub Romanis Institutis
Linque nobis spem salutis.
Leo supplex, et acclinis
Rogat, ne propinquet finis
In Prophanis, et Divinis.
Libertatis nostræ Sortem
Vindica contra Nepotem
Ludovice Domine
Maior quovis homine
Dona nobis Requiem.